



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica


Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. Quid sit distinctio virtualis intrinseca? & an in Deo admittenda sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)



TRACTATUS IV.

De identitate, & distinctione virtuali
entis ut sic.

CAPVT I.

Quid sit distinctio virtualis intrinseca? & an
in Deo admittenda sit?

I **N** HIL in toto hoc libro, ac fortassis etiam in tota Philosophia, ac Theologia operosius, aut difficilius distinctione virtuali, & identitate opposita, de quibus in presenti agendum est. Quamvis autem posterioris illius affectionis, nempe identitatis virtualis perrarò fiat mentio expressa quidem atque explicita huius decursa tractatus, haud propterea videri debet omissa: cum enim ea & prior entis affectio, nempe distinctio virtualis, se excludant invicem, quæ in diuinis, aut creatis probant alteram, id est distinctionem virtuales, hæc identitatem eandem virtuales, eiusque necessitatem improbant: & è conuerso quibus confutatur id genus distinctio, iisdem implicite suaderetur opposita identitas. Distinctio ergo virtualis alia est extrinseca: alia intrinseca. Illa est, qua distinctis realiter conceptibus aliquid ex parte rei indistinctum actu, ac sponte sua indiuisum concipimus: huiusmodi distinctio inter hominem, & animal rationale intercedit, ac de ea non est controuersia in præsentiarum: virtualis intrinseca, huiusque instituti propria distinctio omnem conceptum anteverit, & ex parte rerum reperitur, ac tunc locum habet, cum eadem res, eadem, inquam, realiter, & formaliter, siue ex natura rei habet aptitudinem ad prædicata contradictoria, qualia eademque sint: immerito enim aliqui distinctionem hanc virtuales ad solum cognosci, & non cognosci, aut assimilari, & dissimilari, aut producere, & non producere coarctant: atque ex præfata eius explicatione, eaque magis liberali, & expedita, quam ab aliis tradita consuevit colligi potest, in quonam sita sit opposita identitas virtualis. Porro quamuis multi specioso nomine distinctionis virtualis prætendant distinctionem veram, & actuales reali minorem, eamque etiam in Deo admittant, cæterum omnem distinctionem veram, ut actuales hoc ipso esse distinctionem ex natura rei, & à Deo procul relegandam, superius ostendimus: maneat ergo distinctionem virtuales intrinsecam improprie tantum esse distinctionem, quamuis proprie, ac realis distinctionis munus obeat quoad aliqua prædicata contradictoria: quæ duo optime coherere, in loco videbimus.

His constitutis asserendum est, essentiam diuinam virtualiter intrinsecè à relationibus distingui. Ita innumeri auctores nostræ scholæ, & extra eam non pauci, quorum potissimum argumentum sic se habet: essentia communicatur Filio, non communicata ei Paternitate, Filiatio producit, non producta essentia, & vnitur immediatè humanitati Christi, non vnita immediatè essentia; atque hæc omnia contingunt ex parte rei, & ante omnem operationem nostri intellectus: distinguuntur ergo virtualiter natura, & relatio, cum distinctio virtualis ea haud dubiè sit, ratione cuius eidem proprie rei prædicata contradictoria conueniunt. Confirmatur, & declaratur: natura ut natura ne-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

quit communicari, & simul non communicari: & relatio ut relatio nequit produci, & non produci, vni-ri, & non vni-ri: nulla alia de causa, nisi, quia natura, ut natura est, nullam habet distinctionem, etiam virtuales à seipsa, nec etiam relatio, ut relatio à semet: igitur si natura à relatione nullam habet distinctionem virtuales, non poterit natura haud communicari, non communicata relatione, vel produci vni-ri ut relatio, non producta, atque vnita natura.

Respondent primò nonnulli ex nostris, non esse prædicata contradictoria ea, quæ retulimus, quia sicut relatio producit, & vnitur, ita similiter natura, ut relatio est, producit, & vnitur, & quemadmodum natura communicatur, sic etiam relatio patris, quæ natura est, communicatur: quare nullum prædicatum competit naturæ, quod relationi non conueniat, & è conuerso. Contra tamen sic arguo: natura ut natura communicatur, & relatio, ut relatio non communicatur: natura igitur, ut natura ex parte rei distingui debet aliquo modo à relatione, ut est relatio, ea enim reduplicatio cadit, non supra conceptus nostros, sed supra id, quod independentè ab illis est in rebus.

Respondent secundò, non pauci Thomistæ, prædicata illa contradictoria tantum arguere distinctionem rationis. Sed contra etiam sic argumentor: in tantum aliqua distinguuntur, in quantum iis prædicata contradictoria conueniunt, sed naturæ, & relationi prædicata contradictoria à parte rei, & ante omnem operationem nostri intellectus conueniunt: natura igitur, & relatio à parte rei, & ante omnem operationem intellectus, atque adeo, non ratione, seu consideratione sola distinguuntur.

Recentiores aliqui præstantis ingenij ex duabus solutionibus præcedentibus aliam tertiam compingunt, & in primis aiunt, communicari, & non communicari ritè intellecta haud esse prædicata contradictoria: deinde, ut natura communicetur quodammodo, & non communicetur Paternitas, sufficere virtuales distinctionem, non virtuales, sed solius rationis: ad id etiam satis esse, quod natura realiter inadæquatè distinguatur à Paternitate, eoque vnior salior, & magis communis sit ad eum modum, quo animal cum homine comparatur.

Cæterum cum hi Neoterici docent, communicari, & non communicari non esse prædicata contradictoria, nihil addunt doctrinæ communi eorum, qui nobis aduersantur: quare necesse non habeo quidpiam communi impugnationi superius posita adicere. Deinde siue communicari, & non communicari sint prædicata contradictoria, siue non, perperam explicantur per distinctionem rationis: qualia enim cumque sint, naturæ, & relationi conueniunt ante omnem operationem intellectus, siue rationis. Præterea aliud est naturam diuinam esse distinctam realiter mediâtè, siue in tertio à Paternitate, aliud verò ab ea realiter inadæquatè distingui: illud prius verissimum est; attamen non ratio difficultatis, sed ipsa difficultas est: hoc posterius, nec verum, nec admodum securum est, si verbis vis sua constet, nec in alium sensum improprium extrahantur: aliquid enim realiter inadæquatè ab alio distingui, est partem eius realiter adæquatè ab illo alio distingui, partem verò nullatenus distingui ab eo, sed potius cum eo omnino identificari: quo pacto homo distinguitur realiter inadæquatè à corpore, quoniam anima hominis à corpore realiter adæquatè distinguitur, secus verò corpus à semetipso: ut ergo natura diuina sit realiter inadæquatè distincta à Paternitate, debet esse

C 3 realiter

realiter multiplex, ac partibilis, ut penes unam sui partem omnino cum Paternitate identificetur, penes aliam vero ab ea distinguatur: atqui naturam divinam unam realiter, ac impartibilem esse, fides nostra sancit. Tandem si communicari, & non communicari non sunt prædicata contradictoria iuxta hos, ex superfluo recurrunt ad distinctionem ullam, siue solius rationis, siue realem inadæquatam, siue utramque: tota enim difficultas hoc solo cardine vertitur, quatenus nimirum sine distinctione, aut an sine illa natura, & relationi prædicata contradictoria conveniant: expuncta igitur contradictione prædicatorum, tota difficultas evanescit: cur igitur ullius distinctionis mentionem faciunt, ac nova difficultate se implicant?

7 Sed videamus subtile quoddam argumentum, quo distinctionem virtuales, siue aptitudinem ad prædicata contradictoria à Deo relegant. Distinctio virtualis inter naturam, & personalitates, si ad aliquid deferretur, maxime ad hoc, ut eadem realiter natura cum sit, personæ tamen, quibuscum identificatur, inter se realiter distinctæ esse queant. Atqui ad hoc non deferretur: quoniam distinctio virtualis est multo minor, quam realis: ergo insufficiens est, ut personæ à natura realiter indistinctæ, inter se tamen realiter distinctæ fiant; & ad summum ad hoc utilis erit, ut personæ inuicem virtualiter distinguantur: eiusmodi enim virtualis distinctio plus præstare nequit, quam ipsa valet: cum ergo non valeat, nisi distinguere virtualiter naturam à personis, quo pacto harum realem distinctionem præstare, aut fundare poterit? Confirmant, & declarant argumentum speciosa quadam, sed speciosa tantum, inductione. Hoc ipso, quod Petrus tantum numericè distinguatur à Ioanne, & Francisco, non possunt hi specificè inter se differe, siue distingui, ne videlicet maiorem inter se distinctionem habeant, quam cum tertio, neve minor distinctio maioris partes impleat. Rursus hoc ipso, quod equus specificè tantum distinguatur ab homine, & leone, non possunt hi genericè inter se distingui, eandem nimirum ob causam. Præterea, quoniam rationalitas, vel virtualiter tantum, vel sola ratione distinguitur ab animalitate, & risibilitate, inter quas media interiaccet, & quarum altera prior, altera posterior est, non possunt hæc inter se realiter, aut magis, quam virtualiter, seu ratione distingui, ne scilicet plus inter se, quam à tertio distinguantur, neve minor distinctio maioris pondus, & instar habeat. Pari ergo ratione, quod natura divina virtualiter tantum distinguatur à relationibus, præstare non poterit, ut hæc plusquam virtualiter, siue quod perinde est, realiter distinguantur inuicem.

8 Tota huius argumenti doctrina fragili, ac ruinoso fundamento innixa est: falsò enim supponit, idcirco adiunctam esse distinctionem virtuales intrinsecam, ut merito illius divina personæ inter se realiter distinguantur: namque ob hunc finem excogitata non est, sed ob aliud longe diversum, nempe, ut natura divina, & Paternitati V. causâ prædicata contradictoria conveniant, alteram, scilicet communicari Filio, alteram vero ei non communicari: siquidem huiusmodi prædicata contradictoria aliquam efficiunt distinctionem naturæ à Paternitate: non realem: adeoque virtuales.

9 Huius rei gratiâ animadvertendum est, cum dicatur personalitates realiter distinctas, eidem tamen naturæ realiter identificari (in quo mysterium triados consistit) tria quidem dici. Primum est, personæ esse realiter distinctas: & hoc non oritur à distinctione virtuali, sed ab earundem distinctione

reali, cuius fundamentum, & indicium est relatio originis, qua una persona aliam realiter producit. Secundum est, personæ ita realiter distinctas, realiter tamen identificari uni, eidemque naturæ: & hoc, non à distinctione virtuali proficiscitur, sed ab infinitate naturæ divinæ, quæ quamvis una sit, quia tamen infinita, potest sese per identitatem extendere ad personæ reales, ac proinde summe distinctas, ut supra in loco exposuimus. Tertium est, naturæ, & Paternitati convenire posse prædicata contradictoria, scilicet, alteram communicari posse Filio, & Spiritui sancto, secus vero alteram: & hoc solummodo est, quod à distinctione virtuali naturæ à relationibus provenit.

Dices: si natura non esset virtualiter distincta à Paternitate, Filiatione & spiratione passiva, non possent hæc tres relationes esse inter se realiter distinctæ, quin potius more ipsius naturæ essent unus duntaxat conceptus: ergo à distinctione virtuali naturæ à relationibus provenit, quod hæc quantumcumque identificata eidem naturæ, inuicem tamen realiter distinguantur. Respondeo, distinctionem realem personarum oriri quidem à distinctione virtuali naturæ à suis relationibus, siue proprietatibus personalibus, velut à conditione, sine qua non; non tamen velut à causa formali, & præcipua. Hoc autem nobis non obstat, nec ab adversariis falsum esse convincitur: id enim, quod minus est, potest esse conditio, sine qua non daretur, quod maius est: quo pacto approximatio localis est conditio, sine qua non existeret forma ignis, qua tamen longo minor est intervallo: namque forma ignis substantia, approximatio vero localis accidens est.

His statutis ad formam argumenti contrarij respondeo, negata maiori ob ea, quæ hæcenus adduximus. Ad confirmationem argumenti respondeo, concessio antecedenti, & negata consequentia. Cum enim unum aliquod tertium habet identitatem quandam cum duobus extremis, quæ inter se inuicem, non identitatem realem, sed realem fortiuntur distinctionem, hoc, inquam, ex infinitate sola proficisci potest: quocirca cum omnes res creatæ simpliciter finitæ sint, mirandum non est, quod Petrus non possit esse idem realiter, siue numericè cum Ioanne, & Francisco, qui inuicem realiter distinguuntur; aut specificè idem cum equo, & leone specie distinctis inuicem, aut genericè idem cum equo, & lapide, qui inuicem genere discriminantur. Hæc autem ratio non militat in natura divina, quæ cum simpliciter infinita sit, tripliciter personari potest, quantumlibet ipsa non triplex, sed una, & indivisibilis sit.

Multa alia sunt adversus distinctionem virtuales intrinsecam in Deo argumenta, haud pauciora pro illa, quibus, quia Theologica, necnon operosa, supersedeo. Præterire tamen nequeo quandam, & Philosophicam, & breuem rationem, qua probari potest id genus distinctionis in Deo, & meo quidem iudicio manifeste. Tres personæ divinæ, quamvis sint realiter, ac numericè distinctæ, tamen habent à parte rei consensum in aliquo prædicato: vnaque, & eadem etiam numero natura de iis prædicatur hunc in modum: Pater est natura divina: Filius est natura divina: Spiritus sanctus est natura divina: igitur è contrario, ut aiunt, natura divina, & Paternitas, v. g. quamvis sint idem numericè, & realiter, poterunt tamen habere à parte rei dissensum in aliquo prædicato, nec repugnabit de altera prædicari, quod communicetur Filio, de altera vero, quod ei non communicetur, sicut ad utriusque distinctionem virtuales oportet. Antecedens est fide certum. Consequencia

quentia clarior, quàm vt negari queat: haud enim magis excludit vnitas, & identitas dissenfum in prædicatis, quàm distinctio consensum in illis: Atqui distinctio non excludit consensum in omnibus, & singulis prædicatis, sed in aliquo eum permittit, vt assumitur in antecedenti: ergo etiam vnitas, & identitas non excludit dissenfum in omnibus, & quibuscumque prædicatis, sed in aliquo eum donabit, vti colligitur in consequentia.

C A P V T II.

Distinctionem virtutalem intrinsecam dari in rebus creatis suadet auctoritate Patrum.

13 **Q** Vanquam, vt ingenuè hoc fatear, Patres distinctionem virtutalem intrinsecam in rebus creatis aperte, ac liquidò, nec adstruant, nec reiiciant; ac multa habent, quibus eam satis indicant, quæ hîc proponere animus est. Agnè ergò Patrum ducat Augustinus lib. 8. de Trinitate, cap. 3. vbi sic fatur: *bona est terra altitudine montium, & temperamento collium, & plantarum camporum; & bonum pradium, amaranthum, ac fertile, & bona domus paribus membris disposita, & ampla, & lucida, & bona animalia, animata corpora, & bonus aer modestus, & salubris, & bonus cibus suavis atque aptus valetudini, & bona valetudo sine doloribus, & lassitudine, & bona facies hominis, dimensa pariter & affecta hilariter, & luculenter colorata, & bonus animus amici consensionis dulcedine, & amoris fide, & bonus vir iustus, & bona diuitia, quia facile expediuntur, & bonum celum cum sole, & luna, & stellis suis, & boni Angeli sancta obedientia, & bona locutio suauiter docens, & congruenter monens auditorem, & bonum carmen canorum numeris, & sententia graue. Quid plura? Bonum hoc, & bonum illud. Tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis non alio bono bonum sed omnis boni bonum.* Hæc Augustinus, quibus sanè docet rationem communem boni præcindi cogitatione, & obiectiue separari posse, adeoque esse virtualiter distinctum ab hoc, & illo bono: & hac ratione ad notitiam Dei, ac summi boni nos eleuat; quia nimirum sicut bonum in communi, & prout abstractum ab hoc, & illo duntaxat bonum est, & nihil mali habet, cunctaque bona continet, ita similiter Deus, non ratione, sed re, non intellectu, sed natura est bonum solum, ac omnis mali expertus, atque eminenter omne bonum.

14 **R**urfus idem Augustinus tomo 3. lib. de spir. & anima cap. 3. 4. aut Hugo Victorinus, aut quicumque eius operis est author, sic ait: *Vnus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens usque ad diuisionem anima, & spiritus: Et ideo nihil in creaturis hac diuisione mirabilius cernitur, vbi id, quod essentialiter vnum est, atque indiuiduum, in seipsum scinditur, & quod simplex in se, & sine partibus constat, quasi quadam partitione diuiditur: Neque enim in homine vno alia essentia est eius spiritus, alia est eius anima: sed prorsus vna, eademque nature simplicis substantia: Non enim in hoc gemino vocabulo gemina substantia intelligitur: sed cum ad distinctionem ponitur, gemina vis eiusdem essentia, vna superior per spiritum, alia inferior per animam designatur. In hac vtrique diuisione anima, & quod animale est in vno remanet, spiritus autem, & quod spiritale est, ad summa euolat. Ab*

infimis diuiditur, vt ad summa sublimetur, ab anima scinditur, vt domino vnatur: quoniam qui adheret Deo vnus spiritus est cum illo. Felix diuisio, & mirabilis separatio, vbi quod corpulentum, & feculentum est, deorsum remanet, quod spiritale, & subtile est, usque ad speculationem diuine gloria sublimatur, & in eandem imaginem transformatur: Pars inferior componitur ad summam pacem, & tranquillitatem: pars autem superior sublimatur ad summam gloriam, & incunctitatem.

15 **Q**uæ verba hunc in modum expendo. Eadem realiter substantia est spiritus, & anima, vt huic initio testimonij manifestè dicitur necnon initio totius cipitis, vbi hæc habentur verba: *dum viuificat corpus anima est, dum spirat, vel contemplatur, spiritus est.* At anima, vt anima est, eique, vt spiritus est, conueniunt prædicata contradictoria: vt enim anima est, in imo remanet, non euolat ad summa, ab infimis non diuiditur, ad summa, non sublimatur, Domino non vnitur, ad speculationem diuine gloria non erigitur, ad imaginem Dei non transformatur, ad summam gloriam, & tranquillitatem non euahitur. Deumque in summa non contemplatur, sed duntaxat id habet, vt corpus hoc mortale informet, ac societate sua viuificet: sed anima, vt spiritus est, alia omnia habet, & prædicata cuncta iis, quæ recensimus opposita fortitur; non enim in imo remanet, sed euolat ad summa, Deum cognoscit, &c. Eidem ergo animæ rationali prædicata contradictoria conueniunt, sicut ad distinctionem virtutalem oportet. Confirmatur primo: Non solum quod est animale, corporeum, & feculentum in homine, dicitur diuidi, ac separari quoad multa prædicata à spiritu: sic enim quod tantum esset realiter adæquate, aut inadæquate distinctum à spiritu, diuideretur ab illo, sed ipsa anima ab eo diduci, ac secerni dicitur; adeoque idem realiter à seipso quodammodo diuiditur, & contradictoria prædicata subit. Confirmatur secundò: cum dicitur id, quod essentialiter vnum, & indiuiduum est, in seipsum scindi à parte rei, & quod simplex, ac partium expertus est, quadam partitione diuidi, rursus eandem, simplicemque animæ naturam, esse tamen geminam vim, ac tandem nihil esse in creaturis hac distinctione mirabilius; certè nostra distinctio virtualis intrinseca, ac aptitudo eiusdem rei ad prædicata contradictoria, eiusque per illa quadam scissio, & partitio graphicè describi, suisque coloribus delineari videtur.

16 **B**asiliius etiam idem sentit cap. 3. constitution. monasticarum, ibi: *duplicem ego animi esse arbitror vim, cum ipse vnus sit, atque idem: quarum altera corpus attingat, vitalis scilicet: altera que tota in perspicenda veritate versetur, quam quidem rationalem appellamus.* Ex quibus sic argumentor: Duplex hæc vis vnus, eiusdemque animi non est duplex, distinctaque realiter potentia illius: certum enim, vim vitalem, qua animus attingit corpus, eique vnitur, illudque viuificat, non aliam potentiam ab anima, sed ipsius substantiam realiter esse: duplex igitur illa vis est duplex formalitas animæ virtualiter tantum distincta. Nisi verò quis dicat, Basilium loqui de distinctione solius rationis: sed facile qui sic eum explicet, refelli potest: namque si vis rationalis esset à parte rei etiam virtualiter vis vitalis, planè eiusmodi vis vitalis attingeret, ac viuificaret corpus: quorsum ergo dicit Basiliius, eam totam in perspicenda veritate versari? Eadem ratione, qua Basiliius, animam in potentias virtualiter distinctas partiuntur Bernardus, & alij Patres quos esset referre longum.

17 **N**obis etiam fauet Anselmus lib. 2. de incarnat.